



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi
Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118**

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

32 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50645](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-50645)

340 MEDITATIONES
dat, tu sequaris. Hæc S. Augustinus. Hunc
ita adhærentem Deo, necesse est & testi-
monijs eius adhærere : & qui adhæret te-
stimonij Dei, fieri non potest, quin ipsi
Deo arctissimè adhærescat. Nam (vt ait
S. Leo) nihil est aliud diligere Deum,
quam amare iustitiam. Quam qui dili-
git, & diuinis testimonij adhæret, si-
denter petit, nec dubiè obtinet, ne con-
fundatur. Quid autem sit confusio, &
quam multiplex, supra dictum est copio-
sc.

32 Viam mandatorum tuorum cucurri,
cum dilatasti cor meum.

Ambros. Non potest viam Domini currere, cu-
B. Cor. 6. ius cor coarctatur angustijs. Et Apo-
latamini & vos. Et de Salomone. Latitudo
cordis eius, quasi arena, quæ est in litora
maris: & vide distantiam. Via fit angu-
stior, cor latius, vt Patris, & Filii, & Spi-
ritus sancti sustineat mansionem: ne ve-
niat verbum Dei, & pulset, & videns cor-
dis eius angustias dedignetur habitare. De-
nique sapientia in exitu (id est cum exi-
t in publicum) canit: in plateis cum fidu-
cia agit. Plateæ late sunt. Nō igitur in vijs,
Quomo- sed in cordis latitudine Sapientia decat-
do cor di- lateretur. Ita S. Ambrosius. Latum verò fit cor eu-
cuatione ab occupantibus, & replentibus

Pron. 1.

IN PSAL. CXVIII.

341

terrenis desiderijs. Quod enim iam plenū est quantumuis alioqui sit latum , capaci-
tatis nullius est. Latum fit & fiducia, quæ ad
Dei opes participandas illud extendit. La-
tum caritate , quæ dilatat sinum ad om-
nes etiam ignotos , etiam inimicos. La-
tum fit robore diuino , & consolationibus
caelestibus. Cordis dilatatio iustitiæ est de-
lectatio. Dilatasti , inquit , gressus meos *S. Aug.*
subitus me , & non sunt infirmata vestigia *bie.*
mea. Et item alibi. Eduxit me in latitudi- *Psal. 17.*
nem. Et , Statuisti in loco spacio pedes
meos. O quanta illi animæ latitudo , in- *Psal. 30.*
quit , S. Bernardus , quanta , & merito-
rum prærogatiua, quæ diuinam in se præ- *Ser. 27. in*
sentiam & digna inuenitur suscipere , & *Cant.*
sufficiens capere. Quid illa , cui & spatia
suppetunt , & deambulatoria ad opus qui-
dem maiestatis ? Et , cum enumerasset ,
quibus primò oportet vacuam esse animā ,
ut cælum fiat , atque habitatio Dei. Dein-
de necesse est , inquit , eam crescere , & di-
latari , vt si capax Dei. Porro latitudo eius ,
2. Cor. 6.
dilectio eius (sicut dicit Apostolus) Dilata-
tami in caritate. Et mox. Ergo quanti-
tas cuiusque animæ æstimetur de mensura
caritatis , quam habet. Vt , verbi gratia ,
quæ multum habet caritatis , magna sit:
quæ parum , parua: quæ verò nihil , nihil:
dicente Paulo , Si caritatem non habuero ,
nihil sum.

Hanc cordis dilatationem assecuta ani- *Anima*

P 3 ma.

342 MEDITATIONES

dilatata ma, nihil graue aestimat, nihil difficile:
 currit viā non solum ambulat vias Domini, sed cur-
 mandato- rit. Ideò ait. Viam mandatorum tuorum
 rum.

Sap. 3. cucurri. Nec quomodocumque currunt
Ezech. 1. Sancti, sed quasi scintillæ in arundineto
 discurrunt. Et Ezechieli animalia velo-

cissimo impetu, vt pote pennis, & oculis
 plena ibant, nec reuertebantur. Et, si in-
 terdum reuerti videbantur, reuertebantur
 in similitudinem fulguris coruscantis.
 Nunc ergo Domine est, vt plorem in sinu
 tuo vias meas difficiles: & gressuum tard-
 itatem etiam in via tua defleam: cordis
 angustias confitear, & confundar: atque à
 te, qui abundantia pietatis tuæ & merita

Psal. 103. supplicum excedis, & vota, qui facis An-
 gelos tuos spiritus, & ministros tuos igné
 vrentem, suppliciter & latitudinem cor-

Psal. 54. dis, & gressus dilatatos, & expeditos, &
 cursum celerem, imò & volatum petam.
 Da mihi pennas vt Aquilæ, & volabo, &
 requiescam: da ignitum discursum, vt
 quasi velox ex concepto igne tuo scintilla
 ministrem tibi, luceam omnibus: omnes
 amore tuo succendam.

¶ He, id est, Ista.

Oetonarius Quintus.

33 **L** Egem pone mihi Domine
 viam iustificationum tua-
 rum;